

ALBANUS in Hispaniam tenderet, idem etiam iterare valuit quando, ex Hispania rediens, Galliam repeteret. Nec refert quod ALBANUS inde multum perdidit; hoc enim mere per *accidens* factum est, et LAMPRIUS ad hujusmodi damnum mere permissive se habuit. Ergo non injuste egit; ergo non est inquietandus. *Elbel, n. 602.*

989. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia pecunia illa adhuc, in communi aestimatione hominum, suum valorem servat. Secus vero, si constaret illam pecuniam jam suum valorem antiquum perdidisse, quia tunc campsor pecuniam non amplius expenderet juxta præsentem suum valorem. *Elbel, n. 604.*

## CASUS VIII.

## CAMBIUM 2°.

VALESIVS, campsor, e pecunia mutuo tradita, fenoris, seu lucri titulo, 6 vel 7 pro centum, imo 8 vel 9 percepit, his ductus rationibus, scilicet: 1° quia se habet ut pecuniæ mercatorem; 2° quia varia sortis pericula sæpius incurrit; 3° quia magnam pecuniæ copiam ostiosam semper penes se habere debet, ut omnibus pecuniam petentibus satisficiat, necnon ut propriis obligationibus impar non efficiatur, in casu quo ipsius debitores solutionem differant; 4° quia ipse pecuniam mutuo petit et sæpe petere tenetur, 5 0/0 solvendo; 5° quia, singulis trimestribus spatii, novæ fieri debent expensæ ad computationes instaurandas (*droits de commission*); 6° quia telonii expensas plurimas faciendas solvere debet.

HINC :

QUÆR. 1° *An campsores pro mutuo pecuniæ 6 vel 7 0/0 vel etiam amplius percipere possint?*

2° *Quid de VALESIO, ejusque rationibus?*

SOLUTIO :

990. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Campsorum munus est *primario*, ut vox ipsa sonat, pecuniam permutare, vel alio transferre; *secundario* autem, et velut *accessorie*, pecuniam mutuo tradere. Quid accipere possint campsores ratione muneris *primarii*, seu ad pecuniæ permutationem aut translationem, non potest generali regula definiri. Consuetudini locorum et virorum proborum se conformare debent. Quid vero accipere possint ratione *mutui*, ex nulla lege speciali pro ipsis eruitur.

Quare præscripto generali subjici debent, *per se*, nisi aliquando ratione damni *emergentis* amplius accipere possint. Campsores igitur *per se* in mutuo non possunt excedere *taxam* legalem, 6 0/0 permittentem. Aliquibus in locis, ratione damni *particularis*, 7 0/0 permitti videtur, præsertim si ipsi pecuniam ab aliis *obtinere* nequeant, nisi censum legalem, seu 5 vel 6 0/0 solvant (1).

(1) Attende tamen ad varia loca, et virorum piorum praxim; vix enim in istis rebus regula generalis statui potest.

991. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Quid autem de VALESII rationibus? Pleræque flocci faciendæ sunt: 1<sup>a</sup> Ratio admittenda quidem est, quia campsor ut pecuniæ mercator habendus est, et hoc titulo 6 0/0 exigere potest ab iis quibus pecuniam tribuit, sed non amplius sola mutui ratione. — 2<sup>a</sup> Ratio nihil valet, utpote nimis generalis. Etenim, si aliquando probabile sit sortis periculum, est casus particularis, in quo periculum illud aestimari potest, et, ratione illius, major census requiri. Sed numquid ideo 8 vel 9 ab omnibus indiscriminatim exigere poterit? Nequaquam. — 3<sup>a</sup> Ratio etiam infirma est. Etenim, si pecuniam otiosam habere debeat, lucrum sat notabile ex alia pecunia mutuo tradita percipit, ut indemnis fiat. — 4<sup>a</sup> Ratio jam ex dictis exsufflanda est, quia, etiamsi 1 tantum pro centum accipiat plus quam solvat, ratione multæ pecuniæ, lucrum non mediocre obtinebit. — 5<sup>a</sup> Ratio fundamentum quidem quoddam habet, sed expensæ illæ scripturarum faciendarum, vel renovandarum, non tantæ sunt ut pro illis plus quam 6 aut 7 pro singulis centenis requirere debeat.

992. — Insuper notum est campsores non paucos scripturas inutiles sæpe facere, aut renovare, ut occasionem habeant censum majorem a mutuatoribus exigendi; quot sunt etiam qui, pro scripturis non factis vel simulatis, stipendium petunt? Dicunt enim se jus habere ad eas confiendas, et proinde mercedem posse repetere, perinde ac si perfectæ fuissent. Hæc praxis injustitiæ plena est. Quare enim pretium exigis pro labore quem non posuisti? Quare vis colligere ubi non seminasti? Quale jus habes ad inutiles expensas? — 6<sup>a</sup> Ratio claudicat, expensæque telonii jam satis resarciuntur ex lucro proveniente de munere primario campsores, scilicet de permutatione vel translatione pecuniæ. Non desunt campsores qui 6 vel 7 ad summum requirunt, et statum suum tamen honeste servant.

## CASUS IX.

## NEGOTIATIO PECUNIÆ.

*Acceptilatio et expensilatio (comptes courants) (1).*

ONUPHRIUS, quærens modum facilem habendi pecunias, quibus aliquando eget, et pecunias, quas aliquando recipit, facile collocandi, adit ARGYROPHILUM, nummularium (*banquier*), quem sic alloquitur: « Visne mecum contractum inire, quo te obligabis ad recipiendas omnes pecunias quas tibi offeram, cum onere fenoris legitimi solvendi mihi, et ad præstandas mihi omnes pecunias quas a te repetam, cum pari onere fenoris legitimi ex mea parte solvendi? — Optime, inquit ARGYROPHILUS, et si tibi placet, post quodcumque spatium trimestre, compensationem instituemus, ita ut qui residuum aliquod debet, illud solvat, aut de novo debitor fiat, cum onere solvendi in posterum fenora fenorum elapsorum.... » Ita fit conventio.... Elapso autem primo spatio

(1) V. versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a. n. 1036 ad n. 1043.

trimestri, ARGYROPHILUS præbet ONUPHRIO bilancem accepti expensi (*l'état du compte courant*), unde liquet, præter fenora utrinque debita a diebus receptionum, summas sortis quas ONUPHRIUS recepit, esse 4,200 fr., eas autem quas ipse ad ARGYROPHILUM attulit, esse 700 fr. Sed advertit insuper ONUPHRIUS: 1° summas quas ab ARGYROPHILO recepit, produxisse in favorem ipsius 6 0/0, dum eæ quas eidem remisit, produxerunt tantum 5 0/0. — 2° In summa 700 francorum computari tantum, pro 292,80, litteras cambii, quas eidem ARGYROPHILO remisit, a TITIO quodam subscriptas, et alia in urbe solvendas post duos menses a die quo fuerunt ARGYROPHILO remissæ. Ita autem egit ARGYROPHILUS, quia e 300 francis deduxit 3 francos pro fenore per duos menses, 3 francos pro salario negotiationis a se susceptæ, et 1,20 pro pretio cambii. — 3° Animadvertit insuper ARGYROPHILUM exigere supra fenus 6 0/0, etiam 1 0/0 pro salario (*commission*). Nihil tunc dicit ONUPHRIUS, sed pecunias nec amplius apud ARGYROPHILUM affert, nec amplius ab eo repetit. At, elapso alio trimestri spatio, denuo bilanx ei offertur unde constat ARGYROPHILUM, præter fenora residuæ summæ præcedentis bilanci, ab eo exigere 1 0/0 pro salario (*commission*), et exigere insuper cum præcedenti residuo novam sortem fenorum productivam.

HINC:

- QUÆR. 1° *An licuerit ARGYROPHILO, pro summis a se ONUPHRIO traditis, 6 0/0 percipere, dum 5 0/0 eidem solvebat pro summis a seipso receptis?*
- 2° *An licuerit illi, stante conventione, efficere fenora productiva fenorum post quodcumque spatium trimestre?*
- 3° *An licuerit exigere, præter taxationem legalem, salarium 1 0/0 pro summis ONUPHRIO traditis, et an illud salarium debuerit computari in tota summa 4,200 fr. a se tradita, aut tantummodo in differentia 3,500 fr.?*
- 4° *An ex summa 300 fr. a TITIO debita potuerit deducere fenus duorum mensium, salarium et pretium cambii?*
- 5° *An potuerit novum salarium exigere pro residuo bilanci primi spatii trimestris?*
- 6° *An potuerit, elapso secundo spatio trimestri, reddere fenora residui productiva novorum fenorum, licet nulla nova operatio per hoc tempus intervenerit?*

SOLUTIO:

993. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Negative*, quia de natura hujus contractus est ut summæ hinc et inde debitæ possint se invicem compensare, habita tantum ratione quantitatis et temporis. Hoc autem fieri non posset, si hinc et inde fenus æquale non foret. Fenus autem illud 6 0/0 juxta legem esse videtur, cum contractus ille commercialis sit, siquidem ARGYROPHILUS ab ONUPHRIO pecunias accipit quas in commercium suum impendere debet, et pecunias ei tradit quæ, propter ejusdem ARGYROPHILI professionem, mercium rationem habent. ONUPHRIUS insuper pecunias ARGY-

ROPHILO tradit, ut in ejus commercium impendantur et facilius possit alias pecunias, ex hoc ipso proprio commercio, in suam propriam utilitatem retrahere.

994. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirmative*. Lex enim quæ prohibet ne fenora sint productiva fenorum, nisi uno saltem anno elapso, soli mutuo applicari debet. Hic autem agitur de contractu omnino diverso, in quo utraque pars contrahens creditor vel debitor alternatim fieri potest, et in quo proinde utrique prodesse potest, ut fenora in sortem vertantur.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Affirmative*. Tale salarium non solum non est usurarium, si stipulatum fuerit, sed etiam, nulla posita speciali conventionem, deberetur ab ONUPHRIO, qui, ARGYROPHILI professionem cognoscens, non potuit ignorare illum ad tale salarium jus habere. Etenim, ut ARGYROPHILUS possit in promptu semper habere summas quas ab eo petit ONUPHRIUS, necessarium est ut artem exerceat valde laboriosam et periculosam, cujus labores et pericula solo pecuniæ fenore non compensantur: salarium autem illud debet juxta usum loci cujusque computari.

995. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ. Affirmative quoad salarium*, quia, accipiendo litteras cambii tanquam pecunias, et suscipiendo onus illarum solutionem in alio loco exigendi, exercuit suam artem, et bonum ONUPHRIO præstitit officium.

*Affirmative etiam quoad pretium cambii*, si reapse ex taxatione tunc temporis recepta sit 1,20 pro 300 fr., scilicet 0,41 0/0 pro urbe in qua solvi debent litteræ cambii. Nummularius enim non potest harum litterarum solutionem obtinere, aut eas aliis cedere, quin illud pretium solvat. Et etiamsi forte eveniret ut ab hac solutione posset se eximere (ut si, v. g., ab ipso subscribe in sua urbe summam debitam reciperet), nihilominus jus haberet ad pretium illud retinendum, cum *per se* et ex natura sua litteræ de quibus agitur hoc decrementum subire debeant, et *per accidens*, casu aut industria fiat ut non ita sit.

Tandem *affirmo etiam quoad fenus*, quia alioquin privaretur per duos menses fenoribus hujus summæ, cum illa fenora ipse ONUPHRIO rependat. Attamen in rigore juris non posset retinere fenus 300 francorum, cum per prædictas reductiones imminuta sit sors, ita ut jam rependat ONUPHRIO fenora 292,80 tantum. Sed observandum est, quod ibi agitur de contractu, in quo præter taxationem legalem salarium debetur, juxta usum in commercio receptos: si ergo hæc differentia, quæ in casu præsentis fere nulla est, et in plerisque casibus minima erit, si, inquam, hæc differentia juxta usum commercii non attendatur, pro supplemento salarii habenda est.

996. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quæ. Negative*. Salarium enim et debetur propter curas quas impendere tenetur, ut habeat semper pecunias ONUPHRIO petenti præstandas; ibi autem nulla nova præstatur pecunia, sed residuum jam præstitarum pecuniarum ab ONUPHRIO deberi declaratur. Si ergo ratione hujus residui salarium perciperet, duplex pro eadem pecunia percepisset.

997. — *R. ad 6<sup>m</sup> Quæ. Affirmative*, quia ONUPHRIUS non monuit illum, se præsentibus conventionibus renuntiare; proinde stant tales conventiones, etiamsi non utatur jure tradendi aut recipiendi pecunias.

ARGYROPHILUS autem tenetur quocumque trimestri spatio monere ONUPHRIUM, et de statu bilancis eum certiore facere. Alioquin videretur ipse renuntiasse præcedentibus conventionibus, et non posset efficere fenora productiva novorum fenorum.

## BILANX AB ARGYROPHILO PROPOSITA.

998. 1<sup>m</sup> TRIMESTRE (a 1<sup>a</sup> Januarii ad 31<sup>m</sup> Martii).

ACCEPTUM.		EXPENSUM.	
Die 14 Feb. accepta ab ONUPHRIO.		Die 13 Januarii tradita ONUPHRIO.	
Summa pecuniaria.....	407 20	Summa.....	4,200 »
Acceptæ insuper litteræ cambii		Fenus per 75 dies (6 0/0).....	52 5
a Titio quodam subscriptæ et 14		Salarium (1 0/0).....	42 »
aprilis solvendæ.....	300 fr. »		
Unde deducendum :			
1 <sup>o</sup> Fenus usque ad	} 292 80		
diem solutionis. 3 f. »			
Salarium (1	} 7 20		
0/0.....			
Cambium (0,40			
0/0.....	4 20		
Totale sortium.....	700 »	Totale expensorum.....	4,294 50
Fenus per 45 dies (5 0/0).....	4 36	Totale acceptorum.....	704 36
Totale acceptorum.....	704 36	Residuum debitum.....	3,590 14

999. 2<sup>m</sup> TRIMESTRE (a 1<sup>a</sup> Aprilis ad 30<sup>m</sup> Junii).

ACCEPTUM.		EXPENSUM.	
Nihil.		Residuum trimestris præcedentis ad	
		ONUPH. debitum.....	3,590 14
		Fenus per 3 menses.....	51 85
		Salarium (1 0/0).....	35 90
		Debitum.....	3,677 89

## CASUS X.

## PECUNIA EX PRÆCEDENTI PROMISSIONE MUTUATA.

*Crédit ouvert* (1).

CHRYSOPHILAX, nummularius, SIMPLICIO, mercatori, spondet se illi pecunias mutuatarum quotiescumque voluerit, usquedum deveniatur ad summam 30,000 francorum, et sic ineunt contractum quem vocant: *créditum apertum* (*ouverture de crédit*). Post 3 menses SIMPLICIUS jam 12,000 francorum summam accepit. Tunc monet illum CHRYSOPHILAX, ut solvat fenora jam elapsa et insuper 1 0/0 ratione salarii, cum declaratione, quod nisi solvat fenora et salarium novum, ex his efformabitur sors. Ad

(1) Vide versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a n. 1043 et seq.

hoc respondet SIMPLICIUS: se non posse cogi ad solutionem fenorum, nisi post unum annum elapsam, cum nulla conventionem stipulatum fuerit fenoris solutionem ante anni terminum esse faciendam; negat a fortiori posse CHRYSOPHILACTEM ex fenoribus post tres menses novum capitale efformare; negat tandem se ullum debere salarium, quod nec stipulatum fuit, nec, prout usurarium, stipulari potuit. Addit SIMPLICIUS quod ad præcavendas ultiores difficultates non amplius vult in posterum uti promissione mutuandi sibi a CHRYSOPHILACTE facta. Reponit CHRYSOPHILAX: licere quidem SIMPLICIO non amplius a se mutuare, minime vero illi permitti ut se eximat ab obligatione solvendi fenora fenorum, et solvendi insuper 300 francos pro salario pecuniarum juxta promissionem mutuandarum.

## HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> An potuerit CHRYSOPHILAX efficere, ut post tres menses fenora pecuniarum jam mutuatarum novam sortem efformarent fenorum productivam?

2<sup>o</sup> An potuerit exigere salarium, et hoc non solum pro 12,000 francorum reapse traditis, sed etiam pro 30,000 francorum promissis?

## SOLUTIO:

1000. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Negative; quia non solum circa hoc nulla intervenit conventio, sed nulla intervenire potuit: etenim pecuniæ traditæ reapse mutuatae sunt; pecuniarum autem mutuatarum fenora novam sortem efformare non possunt, nisi conventionem speciali aut petitione judiciaria, post integrum elapsam annum. Annus autem ille computari debet, pro unaquaque summa, a die qua recepta fuit. Nec valeret conventio juxta quam minus requireretur tempus, ut fenora novam sortem efformarent: non fit enim in præsentem casu sicut in *expensilatione* et *acceptilatione*, ubi unus vel alter potest vicissim debitoris vel creditoris vices gerere: cum autem mutuatarius necessario debitor remaneat, talis conventio ad nihil aliud inserviret, nisi ad augendum fenus supra taxationem legalem.

1001. — R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Affirmative. Et non solum potuit CHRYSOPHILAX salarium exigere, pro 12,000 franc. reapse traditis, sed pro 30,000 fr. quæ tradere promisit: salarium enim illud debetur non propter ipsum mutuum, sed propter antecedentem mutuandi promissionem et ratione curarum quas CHRYSOPHILAX vi istius promissionis adhibuit ut summam 30,000 fr. semper in promptu haberet, ad satisfaciendum SIMPLICII requisitioni. Nec obstat quod circa illud salarium nulla intervenerit conventio, quia SIMPLICIUS, sola CHRYSOPHILACTIS professione et usibus in commercio receptis, sufficienter monitus est.

## CASUS XI.

## MUTUUM SIMPLEX A NUMMULARIO FUCATUM (1).

CANDIDUS, mercator, a VULPINO nummulario pecuniam, mutuandam sæpe

(1) V. versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a n. 1045 et seq.

petit, et in agnitionem debiti chirographa *endossabilia* (*billets à ordre*) subscribit; sed VULPINUS CANDIDUM codicibus suis inscribit, non ut simplicem mutuatarium, sed tanquam si cum ipso de *acceptilatione* et *expensilatione* contraxisset (*comme s'il existait entre eux un compte courant*); proinde sic operatur: si, ex. gr., CANDIDUS petat ab eo 10,000 francorum post sex menses restituenda, subscribendum præbet illi chirographum 10,300 fr., ut possit, elapso termino, exigere non solum sortem, sed etiam fenus sex mensium. Deinde inscribit CANDIDUM in *expensilatione* sui codicis, ut debitorem 10,300 francorum, et inscribit pariter in *acceptilatione* (*au crédit*) ut creditorem 9,991 fr. (scilicet creditorem valoris chirographi sub deductione fenus sex mensium); utramque summam productivam fenus fingit, ita ut CANDIDUS inveniri possit debitor differentia inter fenus 10,300 fr. et fenus 9,991 fr. Tribus autem elapsis mensibus, petit illam differentiam, et insuper unum pro centum salarii pro pecunia tradita, declarans quod, nisi id quod petitur immediate solvatur, ex hoc nova sors efformabitur.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> Licuitne VULPINO addere in chirographo fenus sorti?

2<sup>o</sup> Licuitne petere fenus differentia inter utramque summam, codice suo inscriptam?

3<sup>o</sup> Licuitne petere salarium pro pecunia tradita?

4<sup>o</sup> Licuitne facere, ex supradicta differentia, novam sortem post tres menses?

SOLUTIO :

1002. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. *Affirmative*. Cum enim chirographa non sint fenus productiva, nisi elapso solutionis termino (*du jour du prêt*), potuit hoc modo efficere ut pecunia mutuata fenus produceret a die mutui. Attamen videtur circa hoc esse quædam difficultas, siquidem, cum fenora fingantur esse pars sortis, sequitur quod, elapso termino, producent fenora, licet pro anno integro non debeantur. Impediretur illud incommodum, si in chirographo tantum exprimeretur sortem vere mutuata esse, cum obligatione ex parte mutuatarii solvendi fenora a die mutui. Sed modus ille in commercio inusitatus difficiliorem redderet chirographorum transmissionem. Quare debitores præsumendi videntur libenter illud subire damnum ad facilitatem operationum; præsertim cum damnum illud vitare possint, solvendo tempore statuto, aut novum chirographum loco prioris subscribendo.

1003. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. *Negative*; quia, ita procedendo, VULPINUS fecit productivum a die mutui fenus nondum debitum 10,000 fr. Imo fecit etiam productivum fenus illius fenus; etenim differentia, cujus fenus exigitur, constat: 1<sup>o</sup> summa 300 fr., quæ est fenus sortis mutuata, et quæ fide addita fuit sorti, licet non mutuata; 2<sup>o</sup> summa 9 fr., quæ est fenus istius summæ 300 fr.

1004. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. *Negative*; quia nulla præcessit promissio mutuandi, ex qua debuerit VULPINUS in promptu habere pecunias sibi a

CANDIDO petitas; proinde nihil aliud intervenit quam simplex mutuum, ratione cujus, præter taxationem legalem, nihil mutuanti debetur, etiamsi iste sit nummularius. Et stipulatio talis salarii esset omnino usuraria.

R. ad 4<sup>m</sup> Quæs. Jam inutilis evadit quæstio, cum ex præcedentibus duabus solutionibus constet, illud non deberi, et a fortiori non posse fenus productivum esse.

## CASUS XII.

### DE CENSU VITALITIO.

1<sup>o</sup> AURELIUS dedit JANUARIO ad censum *vitalitium* mille aureos die prima Januarii, ita ut primam pensionem percepturus esset anno sequenti, eodem recurrente die. Sed inopinato casu moritur AURELIUS, die prima Novembris, in festo Omnium Sanctorum, seu duobus mensibus antequam primus annus compleri potuerit. Hæredes ejus reclamant a JANUARIO partem pensionis, *pro rata* temporis elapsi. Sed surdo canunt: nam JANUARIUS renuit censum solvere, quia jus ad censum *vitalitium* est *personale*, nec proinde ad hæredes transit.

2<sup>o</sup> LEONTIA mulier, septuaginta annos nata, et valetudine admodum infirma, timens ne modicum peculium, constans quatuor millibus fr., paulatim deficiat, illud cedit ANNÆ ad censum vitalitium, 12 pro centum quotannis acceptura. ANNA libentissime contractui consentit, judicans vetulam mox esse vitæ valedicturam. Sed evenit ut LEONTIA ad centum annos vitam produceret; dum ANNA viribus et ætate florens, elapso vix primo anno, mortua est.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An JANUARIUS, in primo casu, censum solvere debeat?

2<sup>o</sup> An sit justus contractus inter LEONTIAM et ANNAM, in secundo casu?

SOLUTIO :

1005. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. *Negant* aliqui, innixi in ratione a JANUARIO allata, scilicet censum esse *personalem*, et proinde non transire ad hæredes. Sed verius *affirmandum* est. Etenim:

1<sup>o</sup> Censum *vitalitium* est ad alimenta et pensionem vitæ; nam pecuniam suam collocans, vult vivere de pensione: ergo æquum est ut pensio currat cum proportionem ad vitam quæ sustentari debet, et sustentatur a die constituti census. Ergo AURELIUS moriens acquisivit jus ad pensionem pro decem mensibus; porro jus ab eo tunc acquisitum, eo moriente, transit ad hæredes: ergo, etc.

2<sup>o</sup> Pensio *vitalitia* se habet prorsus ut pensio assignata Clerico pro alimentis et sustentatione vitæ: nam utraque est *personalis* ad sustentationem, et finitur morte pensionarii, nec habetur jus ad eam, nisi elapso anno; atqui pensio Clerici, mortuo pensionario, debetur hæredi pro rata temporis elapsi: ergo....

3<sup>o</sup> Si censuista *ordinarius* moriatur intra annum, debetur hæredi census

pro rata temporis præteriti : ergo a pari, etiamsi moriatur censuista *vitalitius*; nam hæc est tantum differentia inter hos census, quod in priore jus remaneat hæredi ad sortem, in posteriori nullum jus ad sortem supersit, mortuo censuista. Ergo censuista *vitalitius* non debet esse deterioris conditionis, quam censuista *ordinarius*. Ergo in utroque casu pensio habet eandem temporis divisionem; ergo in utroque casu pensio currit, et obvenit censuistæ temporis lapsu. Ergo JANUARIUS, pro rata temporis præteriti, pensionem hæredibus AURELII solvere debet. *Lacroix, n. 1023. — Molina, etc.*

1006. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirmative.* Etenim census *vitalitius* justus et licitus est, dummodo pro quantitate pensionis habeatur ratio ad ætatem et valetudinem censuistæ. Est enim contractus *aleatorius* qui justus est, dummodo servetur æqualitas inter spem lucri et periculum damni. Theologi *communiter* admittunt, pensionem *ordinarie* non posse se extendere ultra 15 pro centum. Ergo LEONTIA *annosa, et infirmitatibus obruta*, potuit juste accipere 12 pro centum, renuntiando sorti. Est autem casui tribuendum quod adhuc per 30 annos vitam produxerit, dum ANNA præmatura morte perempta est. Hujus igitur hæredes cum patientia vetulam sustineant, et promissam pensionem diligenter solvant.

## CASUS XIII.

## DE FIDEJUSSIONE.

JOFRIDUS villicationem notabilem a RENATO divite gerendam suscepit ea conditione, ut trium millium francorum cautionem præstaret : cum ipse hanc summam non haberet, fratres suos PETRUM et JACOBUM rogavit, ut pro se fidejubere vellent. Quod ipsi, fratri confidentes, libenter præstiterunt. Verum, successu temporis, JOFRIDUS nedum villicationem industrie gereret, magnas expensas in convivia, in luxum et domus suæ splendorem facere visus est, frustra a fratribus admonitus et correptus. Itaque, cum tempus reddendi rationem villicationis suæ advenisset, *inventus est minus habens*, et quidem sex francorum millibus. Quapropter RENATUS hanc summam a duobus JOFRIDI fratribus repetit. Sed interea infelici casu factum est ut unus ex fratribus, JACOBUS scilicet, propriis debitis solvendis impar evaderet.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An duo fratres JOFRIDI teneantur pro eo 6,000 francorum solvere?*

2<sup>o</sup> *An unus, deficiente altero, integram cautionem in solidum solvere debeat?*

3<sup>o</sup> *An uxor, inscio marito, fidejubere queat?*

SOLUTIO :

1007. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Fratres JOFRIDI debitoris, non tenentur ad omnia ejus debita loco ipsius persolvenda, sed tantum ad tria milia francorum. Ratio est, quia fidejussor ad illud tantum obligatur, ad quod nomine

debitoris se obligavit; atqui fidejussores nostri se solum obligaverunt ad cautionem trium millium francorum, quia RENATUS majorem cautionem non postulavit, dum JOFRIDUM in villicationem constituit. Licet igitur JOFRIDUS ipse, contrahendo majora debita, teneatur ad hæc omnia resarcienda, non tamen sequitur quod fidejussores æqualiter teneantur ad totius hujus summæ compensationem, quia ad id nunquam se obligarunt.

1008. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm. per se.* Ratio est, quia, quando plures in eadem causa fidejusserunt, singuli *in solidum* tenentur; singuli enim totum rei periculum in se suscipere censentur, siquidem per modum unius sponderunt: hinc, si creditor contra unum jam egit, et nihil obtinuit, quia v. g., solvere nequit, potest ad alium se convertere, et contra eundem agere, ut solvat *in solidum*. *Elbel, n. 703. — Lacroix, l. 3, p. 2, n. 1110.*

Dixi *per se*, quia hæc solutio convenire nequit omnibus casibus. Est enim quam maxime attendendum ad modum quo fidejussionis contractus initus est.

1009. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Uxor fidejubere potest de jure naturali, si bona habeat de quibus disponere possit. Quoad jus positivum, attende ad speciales patriæ tuæ leges. In Gallia non potest *per se* cautio fieri, quia uxor bonorum administrationem nullam habet, nec absque mariti licentia contrahere potest. Sunt tamen casus in quibus uxor fidejubens teneretur in conscientia respondere, saltem mortuo viro, aut facta bonorum separatione, v. g. si mutuuum enixe petendo pro suo marito, debitis oppresso, non potuerit mutuam movere ad sibi credendam pecuniam, nisi ea conditione ut, viro deficiente, ipsa rependeret, et reapse rependere promittat. *Recole dicta de Contractibus in genere, n. 775.*

## CASUS XIV.

## DE PIGNORE.

PHOTINUS, dives mercator, CLEMENTI mutuo gratuito 300 francos ad triennium tribuerat, catena aurea in pignus ab eo recepta. Attamen hæc lex constituta fuit, scilicet, ut, si CLEMENS, elapso triennio, pignus suum non redimeret, liceret PHOTINO illud justo pretio vendere. Triennio elapso CLEMENS de pignore redimendo altum servat silentium. PHOTINUS per annum adhuc exspectat, et, nec comparente tunc debitore, pignus illud 325 francis vendidit. Tandem adstitit CLEMENS 300 fr. mutuo acceptos referens, pignusque suum repetens. « Pignus autem venditum est, ait PHOTINUS. — Redde igitur pretii excessum, clamat obstupescens debitor; catena enim mea 350 francis valebat, et solum 300 tibi debebam. — Nihil tibi debeo, reponit creditor; catenam enim tuam non nisi 325 fr. veniit; quare 25 franci mihi supersunt præter debiti compensationem, quos teneo, per modum census, intuitu quarti anni, quo volvente, pecunia mea invitus carere debui. »

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An PHOTINUS injuste egerit, pignus, non monito CLEMENTE, vendendo?*